



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Frid. Adolphi Lampe S. S. Theol. Doct. Ej. Et Hist. Eccl.
Professoris Ordinarii, Delineatio Theologiæ Activæ**

Lampe, Friedrich Adolph

Herbornæ Nassaviorvm, 1728

Caput VIII. De effectibus Amoris Proximi, qui per Vitiorum, quae Odium
ejus comprehendit, extirpationem & contrariarum Virtutum exercitium
producuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-28501

CAPVT OCTAVVM.

De effectibus Amoris Proximi, qui per Vitiorum, quæ Odium ejus comprehendit, extirpationem & contrariarum Virtutum exercitium producuntur.

SUMMARIUM.

Vitium ex Odio Proximi fluens est MALIGNITAS seu INIUSTITIA §. 1 --- 52. Illa sedem habet

A. In ipsa mente 1 --- 15.

1. In perverso judicio 2 --- 5.

a. Per temerariam Condemnationem 2. --- 4.

b. Per Prosopolepsian 5.

2. In Maligno affectu 6 --- 15.

a. Quoad irrogenitos 6 --- 14.

α. Per Iram illegitimam 6 --- 9.

β. Per Invidiam 10 --- 14.

b. Quoad regenitos 15.

B. In externo exercitio 16 --- 52. comprehendit

1. Damnum salutis æternæ Proximi illatum per Scandalum 16 --- 19.

2. Damnum salutis ejus temporali illatum 20. --- 52.

X

a. Ore

2. Ore 20 --- 29.
 a. Loquendo 20 --- 28. quo spectat
 N. MENDACIUM 21 --- 27. cuius
 a. *Varia classes enumerantur* 21.
 --- 23.
 b. *Fœditas omnigena demonstratur*
 24 --- 27.
 γ. Testimonium vanum 28.
 β. Tacendo 29.
 b. Opere 30 --- 32.
 a. *Quoad irrogenitos* 30 --- 51.
 N. Clam, quo spectat DOLUS 30 ---
 33. qui committitur
 a. *Per Simulationem* 30 --- 32.
 b. *Per Dissimulatioem* 33.
 γ. Palam 34 --- 51.
 a. *Contra personam Proximi* 34.
 --- 45.
 a. *Directe per HOMICIDIUM*
 34 --- 38.
 † *Diverse ejus species* 34.
 --- 37.
 †† *Fœditas* 38.
 b. *Indirecte per IMPUDICITI-*
 AM 39 --- 45.
 † *Crassiozem* 39 --- 42.
 †† *Subtiliozem* 43 --- 45.
 b. *Contra opes Proximi per INIU-*
 STITIAM *in sensu arctiori*
 46 --- 51. *que*
 a. *Vel crassior* 46. 47.
 b. *Vel subtilior* 48 --- 51.
 β. *Quoad regenitos* 52.

II. *Virtus Amorem Proximi exserens est BENIGNITAS vel JUSTITIA.* 53 --- 95.

A. *In ipsa mente residens* 54 --- 58.

1. *Per rectum de Proximo iudicium* 54 --- 56.

2. *Per affectus rite temperatos* 57. 58.

B. *Externo exercitio demonstrata* 59 --- 95.

1. *Per salutis æternæ promotionem* 60 --- 63.

2. *Per salutis temporalis ad eundem finem procurationem* 64 --- 95. *Hæc exhibetur*

a. *Ore* 64 --- 68.

α. *Loquendo* 64 --- 67. *quo spectat*

ℵ. *VERACITAS* 65. 66.

∩. *Verbum quodcunque bonum* 67.

β. *Tacendo* 68.

b. *Opere* 69 --- 95. *quod versatur*

α. *Circa Bonorum Proximi conservacionem* 70 --- 77. *Huc faciunt*

ℵ. *Candor* 70. 71.

∩. *Pacis studium* 72. 73.

∩. *Castitas* 74. 75.

∩. *Æquitas* 76. 77.

β. *Circa Bonorum Proximi amplificacionem* 78 --- 95. *per BENEFICENTIAM, sub qua comprehenduntur*

ℵ. *Humanitas* 79. 80.

∩. *Studium Pacificationis* 81. 82.

∩. *Favor* 83. 84.

∩. *MISERICORDIA* 85 --- 95.

Hæc

α. *Describitur* 85 --- 92.

a. *In genere* 85 --- 87.

b. *In specie, prout exercetur per eleemosynas* 88 --- 92.

X 2

b. Mo-

b. *Momentum ejus indicatur* 93.

— 95.

I.

UT Odium Proximi, quo peccator omnis a natura est impletus, exuatur, *MALIGNITAS*, quæ magis striete κακία, sed & *INIUSTITIA*, ἄδικία, in sensu specialiori appellatur, animumque ad nocendum prouum atque actiones quacunque, quibus bonum Proximi data opera impeditur & noxa ejus promouetur, comprehendit Ephes. iv. 31. 1. Petr. ii. 1. extirpari debet. Illam in remens primo loco purganda erit ab omni prava contra Proximum tam in iudicio, quam in affectibus corruptis dispositione Zach. v. 11. 17.

II. *Judicium temerarium* ratione Proximi quemcunque conceptum falsum de ejus siue persona, siue actionibus ex naturali Superbia productum designat, per quem neglectus officiorum erga ipsum promoveri, aut odium ejus intendi potest.

III. Crassius peccatur per *Judicium condemnationis* de Proximi persona vel statu. Casus huc pertinentes sunt

(1) Quando propter quasdam sinistras actiones, tales præcipue, quibus nos læsit, vel communi conversatione indignus censetur, ac ceu pestis fugitur, quod prodit *animum irreconciliabilem*, licet aliquando pietatis speciem præ se ferat Jes. lxv. 5.

(2) Quando Proximus aut plane indignus, aut minus quam nos ipsi dignus censetur beneficiis diuinis, quibus gaudet.

(3) Quan-

(3) Quando graviores aliis peccatores esse censentur, quibus Deus externas pœnas immittit Luc. XIII. 2 -- 5. Act. XXVIII. 3. 4. Joh. IX. 2. 3. Id ipsis aliquando regegnis contingere Jobi exemplum docet.

(4) Quando imbecillitates fidelium pro indiciis status peccati habentur Matth. VII. 3.

(5) Quando aliquis propter dissensum non fundamentalem in dogmate *condemnatur* Matth. XII. 7. Rom. XV. 4. quæ intolerantia sæpe in detestationes, execrationes, persecutiones erumpit.

IV. Subtilior est *Condemnatio facti*, quando nempe immitius de eo judicatur, sive quoniam nos aliqua ratione per illud nos læsos esse censemus, sive quia ex mero præjudicio, aut rumore aut sinistra suspitione judicium temere instituitur I. Sam. I. 14. Act. II. 15. Hoc solet appellari *scandalum acceptum* Matth. XI. 5. Matth. XXVI. 31. Quam facile hæc vitia in ipsos regegnos adhuc cadant, experientia docet. Inde discipulos suos serio ab illis Servator dehortatur Matth. VII. 1. 2.

V. Sed & *mitius* de Proximo, quam par est, *judicari* potest Ezech. XIII. 18. Hoc quamvis speciem Amoris ejus habeat, longissime tamen ab eo distat, tum quia ex Philautia perversa oritur & cum *Prosopolepsia* est conjunctum, quoniam de illis benignius solemus judicare, a quibus aliquod lucrum aut commodum exspectamus, Jac. II. 4. tum quia Proximo est nocivum, & nos impedit, ne salutem ejus, qua par est, fidelitate promoveamus.

VI. *Affectio* prava animi se exonerat vel *sub præ-*

textu lésionis a Proximo acceptæ, vel absque illo. Prius fit tum quando propria culpa ansam præbe-
mus *lésionis*, per animum in *contentionis* studium,
Φιλόνειλον, nimis pronum 1. Cor. xi. 16. tum per
IRAM illegitimam, quæ hic designat nimiam volun-
tatis incitationem ad prætentam lésionem Proximi de-
pellendam. *Illegitimam* appellamus, ut distingua-
mus a *legitima*, quæ ad zelum pro gloria Dei est
referenda, & a qua nostræ hæc tam *objecto*, quam
gradu atque modo longissime distat.

VII. Quoad *objectum* peccatur per *Iram*

(1) Quando pro *lésione* habetur, quod pro tali
haberi jure nequit, v. gr. si Proximus in officio
lentus fuerit, ad quæ stricte non erat obligatus,
si intentionem lædendi non habuerit, si per ina-
nes *logomachias* & *rixandi pruriginem* a nobis fue-
rit provocatus, si obicem pravæ concupiscentiæ
ponere quæsierit, in quo casu *Ira* est iniquissima
2. Chron. xvi. 10. Prov. xv. 1. Amos. v. 10.

(2) Quando commotio oritur ex injuria,
quam nos accepimus, non vero ex intuitu pec-
cati quod contra Deum est commissum; unde
Ira hæc non in emendationem proximi, sed exa-
cerbationem majorem tendit 1. Sam. xxv. 13. 22.
Jac. i. 20.

VIII. In *gradu* delinquitur, quoties justa men-
sura Iræ non servatur, sive ratione *temporis*,
sive ratione *modi*, quo lésionem Proximi depel-
limus.

(1) Inferior hic est gradus *Indignationis*, *δυς*,
quæ licet magis circa factum, quam circa perso-
nam versetur, factum tamen non tam considerat
in relatione ad Deum, quam ad nos ipsos.

(2) Ul-

(2) Ulterius progreditur *excandescencia*, sive *amaritudo*, חרון, אצף, θυμὸς, πικρία, quæ animum ita exasperat, ut iudiciis quibusdam amarum se exferat.

(a) Levior est hæc passio, quamdiu subsistit intra *gestus*, quales erant Caini Gen. iv. 5. aut in *verba* tantum aspera se exonerat, quo pertinent qualescunque *rixa* vehementiores de rebus sæpe levioribus, quæ sub vocibus ἐπιθεΐα, νεῖξῃ, ἐπίς &c. solent corripī Gal. v. 20. 2. Cor. xii. 20.

(b) Gravius invalescens in *furorem* aliquando erumpit, sed tamen cito passim defervescentem.

(3) Ubi *excandescencia* sæpe facileque recurrit, illic ὀργιλότης, *iracundia*, oritur.

(4) Deterior est *vindictæ cupido*, quæ cordi altius infixæ est, & quamvis sæpe ad tempus tegatur, nihilominus interius servatur, donec commoda malum malo rependendi occasio subnascitur, exemplo Esavi Gen. xxvii. 41.

IX. Turpitudine horum affectuum inde sequitur:

(1) Quia plus minusque detrahunt honori, qui Deo tanquam summo *iudici* debetur, quo præcipue spectat *vindictæ studium* eapropter severe interdictum Rom. xii. 19. Proy. xiv. 29.

(2) Quia oriuntur ex *superbia*, qua propria indignitatis coram Deo obliviscimur.

(3) Quia maximam perniciem afferunt tum generi humano universo, tum iracundis in specie, quorum sanitati nocent, & belluinam, quin ipsius Diaboli imaginem, animæ induunt.

X. Ulterius exorbitat *INVIDIA*, φθῖς, Βα-
σκαρία

oxavia, ab Hebræis circumscripta per phrasin
 עין ער, *malus oculo*, quæ *Proximo*, etiamsi læso
 non intercedat, male vult, adeoque non solum in re-
 bus ejus secundis contristatur, sed etiam de infortu-
 nio ejus lætatur. Hinc duplex exoritur *Invidia*
 species. Prior tamen proxime sub nomine ejus
 comprehendi solet.

XI. Proprium ergo *Invidiæ objectum* est Pro-
 ximi prosperitas. Aliquando ipsa *Bona spiritalia*
 & *virtutes* Proximi sub invidiam cadunt, etiam
 excellentissimæ, uti ipse. Christus expertus est
 Matth. xxvii. 18. Nulla ergo *Virtus simpliciter*
supra invidiam est, nisi in quantum eam conte-
 mnit. Neque tamen invidus eapropter dolet,
 quod virtute careat, sed quod Proximus sibi pro-
 pter illam præferatur. Quare strictissime in Bo-
 nis temporalibus honoris ac felicitatis subsistit,
 & quidem potissimum eorum, qui aut in pari
 aut minori conditione, quam in qua invidus agit,
 sunt constituti Num. xi. 28. 29. Prov. xxiv. 19.
 20. 1. Sam. xvii. 28. Esth. v. 13.

XII. *Actum* vitii hujus frustra extenuare con-
 tendunt, quibus ille videtur supponere *indigna-
 tem* in Proximo. Nam *dolor*, quem melior Pro-
 ximi fors creat, *indignitatem* illam ex falso prin-
 cipio deducit, quoniam invidus seipsum dignio-
 rem esse censet, adeoque semper ex superbia ori-
 tur Luc. xv. 28. quin eousque non progrediretur,
 nisi invidus ipse illis bonis, saltem in tanta men-
 sura, careret. Quare & cum impatientia ac tæ-
 dio propriæ sortis crimen hoc conjunctum est.

XIII. Merito ergo inter prohibita opera carnis
 collocatur Gal. v. 20. 21. 1. Petr. ii. 1.

(1) Di-

(1) Directe contra Providentiam Dei ac præcipue benignitatem ejus, quam indignis impendit, pugnat Matth. xx. 15.

(2) Invidus sibi ipsi est infestus, quoniam invidia est *putredo ossium* Prov. xiv. 30. Job. v. 2.

(3) Diaboli imaginem gerit.

(4) Multorum malorum ac turbarum in societate humana causa est Jac. i. 11. 16. iv. 1. 2. Prov. xxvii. 4.

XIV. Atrocior est *Livoris* species, quæ de infortunio Proximi in sinu suo lætatur. Illam Scriptura detestatur Job. xxxi. 29. 30. Prov. xxiv. 17. Inanis ei prætextus quæritur ex gaudio Ecclesiæ de hostium interitu Deut. xxxii. 43. Ps. lvi. 11. quoniam in illo hostes considerantur ut ofores Dei & causæ ejus, quorum exitium veritatem justitiamque Dei illustrat.

XV. Vigilandum tamen ipsis regenitis contra residua malignitatis in eorum cordibus semina erit. Nimis faciles in *Iram* aut *Invidiam* sæpe sunt, præsertim quando temperamentum cholericum aut melancholicum accedit. In discipulis Domini ac sigillatim Petro amari hi affectus sæpius conspiciuntur.

XVI. Ubi hæ radices non supprimuntur, illic in dicta factaque odiosa, prorumpunt. Huc referimus *quacunque dicta atque facta, quibus aut salus aterna aut temporalis Proximi per nos damno afficitur*

XVII. Saluti ejus aternæ impedimentum affert quodcunque *offendiculum*, *σκάνδαλον*, *מכשול*, quo nomine Scriptura comprehendit *qualecunque peccatum verbis factisve non solum aperte impiis, sed*

etiam imprudentibus commissum, per quod noxa anime Proximi infertur, sive per malum exemplum ad simile peccatum pelliciatur, sive ansa dubitationibus, alienationi animi, iudicio intempestivo, schismati præbeatur.

XVIII. Latissime ergo Scandalum patet. Non solum directa læsione Proximi, sed etiam quibuscunque peccatis contra Deum & nos ipsos tam committendo quam omittendo commissis, ipsaque *malæ speciei* præberi potest. Hinc diversi nascuntur Scandalorum gradus. Non parum tamen & a *personis*, quæ Scandalum obijciunt, ejus majoris minorve gravitas dependet, prout aut *dignitate* aut *donis spiritualibus* præ aliis eminent Levit. 19. 3. Malach. 1. 8. Quare non solum in regegitos hoc peccatum cadit, sed illorum quoque scandalum eo magis noxium est, quo magis in gratia profecerunt 2. Sam. xii. 14. *Effectus* autem quoad personas, *quæ offenduntur*, diversi sunt. Quidam in peccata ipsi pelliciuntur, alii tristitia duntaxat propter aliorum peccata afficiuntur Rom. xv. 15. Matth. xvi. 23.

XIX. Impense ab hoc peccato Scriptura dehortatur Lev. xix. 14. 1. Cor. x. 32. Quin minas gravissimas offendiculum exhibentibus intentat Deut. xxvii. 18. Matth. xv. 6. 7. Speciatim contra offendicula in doctrina munit Rom. xv. 17. Illis Bileami consilium præludit Num. xxxi. 16. Apoc. ii. 14. Rationes præcipuæ sunt

(1) Quia periculum animæ Proximi semper periculo corporis ejus præferendum est.

(2) Quia, qui scandalo est impiis, author est con-

contumeliæ, quæ propter illum ipsi nomini divi-
no inferitur.

(3) Qui autem piis scandalum caussatur, in
ipsum Christum peccare censetur 1. Corinth.
VIII. 12.

(4) Exempla vitati scandali occurrunt in Chri-
sto & Apostolo Paulo Matth. xvii. 27. 1. Cor.
VIII. 13.

XX. Sed pergendum ad peccata tam *oris*, quam
operis, quæ temporale damnum Proximi directius
spectant. Peccata *oris* contra Proximum quanti
sint ponderis, ex linguæ turpissimo abusu & mul-
tiplici damno liquet, quod Jacob. III. 5--8. de-
scribitur. Ad duas classes illa referre possumus.
Aliquando enim sub *Falsitatis* involucri *Injustitia*
latet, aliquando *palam* apparet. Prius fit per $\gamma\psi$
 $\gamma\psi$ *Testimonium falsum* Exod. xx. 13. sub quo
comprehenditur *Mendacium*; posterius per
 $\lambda\psi\gamma$ $\gamma\psi$ *Testimonium vanum*, quod cum præ-
cedenti phrasi alternat Deut. v. 17. & tam late
patet, ut quodcumque dictum iniquum contra
Proximum simul involvat.

XXI. MENDACIUM, כוזב $\psi\epsilon\upsilon\delta\omicron\varsigma$, est viti-
um *Veracitati* e diametro contrarium, adeoque
comprehendit, quicquid a lingua *contra mentem*
profertur, sive *omnia verba*, quibus *Proximum in*
errorem inducere contendimus. Dividi id potest in
crassius & *subtilius*.

XXII. *Crassius* est *mendacium injuriosum*. Hoc
exercetur

(1) Per *Calumniam*, Συκοφαντίαν, Διαβολήν, quæ
cum animo nocendi semper conjuncta est, & stricte
denotat *qualecunque testimonium falsum de Proximo*
ad

ad contumeliam ejus pertinens, sive in judicio, sive extra illud prolatum.

(2) Per *Mendacium dolosum*, quo quis suum lucrum cum damno proximi promovere contendit.

(3) *Mendacium purgatorium*, quo quis delicta sua negando tegit, atque ita bis peccat.

XXIII. *Subtiliora* Mendacii genera sunt, quæ animum nocendi non necessario involvunt. Huc referimus

(1) *Mendacium civilitatis* seu *Adulationem*, *κολακείαν*, qua laude majori Proximum ornamus, quam dignus est, vel saltem nobis esse videtur, aut nostra servitia intensius, quam pro animi sententia, alteri offerimus, ut favorem ejus erga nos proliciamus 1. Theff. II. 5. Derestabile est hoc crimen Prov. XXIIV. 24. maxime, quando odium sub eo celatur & tectius nocere quærimus. Ps. LV. 22. LXI. 5.

(2) *Mendacium vanæ jactantiae* seu *Thrasonismum*, quo qualitates, inventa aut facta egregia nobis falso tribuimus, ut existimationem Proximi aucupemur Matth. I V. 9.

(3) *Mendacium otiosum*, quo ex mera petulantia, malaque consuetudine finguntur, quæ nunquam acciderunt.

(4) *Mendacium jocosum*, quo quis simplicitatem aut credulitatem Proximi risui, & contemtu exponit.

(5) *Mendacium officiosum*, quo Proximi commodum promovere ac sæpe malæ ejus concupiscentiæ proprii lucri causa inservire intendimus.

(6) *Men-*

(6) *Mendacium necessitatis*, quo malum a nobis aut a Proximo intercedente falsiloquio depellere conamur.

(7) *Aquivocationes & restrictiones mentales*, quæ illum scopum saltem habent, ut Proximus in errorem inducatur, adeoque relate ad Proximum utique inter *Mendacia* sunt referenda.

XXIV. Mendacii fœditatem præ aliis vitiis Scriptura docet. Deus mendaces odit Prov. vi. 19. & horrenda judicia illis comminatur Ps. v. 7. Apoc. xxi. 27. xxii. 15.

(1) Ad imaginis Dei destructionem quam maxime facit, qui *mentiri nequit* Num. xxiii. 19.

(2) Regni ejus formam destruit, ad quam pertinet vinculum, quod inter cogitationes & verba nominum posuit, volens, ut hæc illorum signa essent.

(3) Diaboli imaginem ad vivum exprimit Joh. viii. 44.

XXV. Ad singula quoque genera mendaciorum hæc fœditas se extendit. De crassioribus nemo dubitat.

(1) *Calumniam* esse atrocissimum peccatum constat ex eo, quia præsentissimum est nocendi Proximo medium, vitium Diabolicum, & inter graviora, quæ iram Dei in Judæos provocarunt, collocatur Ps. l. 19. 20. Unde gravis pœna ei dicitur Deut. xix. 18. 19.

(2) Turpitude *Mendacii dolosi* itidem in pro patulo est, quia omnia vincula vel civilis societatis rumpit, furtumque aut injuriam involvit.

(3) *Ne-*

(3) *Negatio criminum* commissorum atro carbone notatur in exemplo Caini Gen. IV. 10. Gehasi 2. Reg. v. 25. nec non in pœna ei dicta Prov. XXVIII. 13. idque merito, quoniam hoc pacto & animus induratus ad peccandum ostenditur & omniscientia Dei abnegatur.

XXVI. De reliquis *subtilioris Mendacii* generibus ex illis fundamentis, quibus Mendacium in genere rejecimus, idem statui debet. Circa sextum tamen præcipue fluctus moveri solent. Verum omnis controversiæ cardo in eo versatur, *annon in Mendacio*, quod quis committit, ut se Proximumve vel *ex minimo* periculo liberet, (nam si in *magno* periculo mentiri licet, cur non etiam in *minori*?) *vitium aliquod insit*, etiam si istud sit *levissimum*? Hoc enim si datur, per circumstantias accedentes nunquam poterit licitum reddi, quod in se est illicitum. Nam nunquam facienda sunt mala, ut eveniant bona. Et inter duo mala semper *minimum* est eligendum. Jam vero *malum physicum*, præcipue temporale, semper minus est *malo morali*.

XXVII. Quod autem sit per se illicitum ejusmodi mendacium, inde confici posse censemus:

(1) Quoniam Lex divina absque *restrictione* aut *exceptione Mendacium* damnat, neque constat, quod usquam Deus ab hac Lege dispensaverit.

(2) Quoniam salus publica propter periculum imaginarium hujus aut illius privati vix aut rarissime dabile in discrimen adduci non debet. Hoc autem omnino fieret, nisi veracitatis Lex per omnia inviolabilis conservaretur.

(3) Quo-

(3) Quoniam prona aperiretur via corruptæ carni ad alia quoque Mendaciorum genera, in quibus nulla proximum lædendi est intentio, qualia sunt mendacia officiosa, negatio culpæ, quin ipsa abnegatio nominis divini, quæ non fit ex animo, sed ad mortem evitandam &c. ex peccatorum numero eximenda.

XXVIII. *Testimonium vanum* comprehendit omnia illa verba inutilia, quorum ratio reddenda in die extremo Matth. xii. 6. adeoque quascunque læsiones Proximi per verba, sive lingua, sive scripto prolata, etiamsi Mendacium in illis non adfit.

(1) Ad læsiones per linguam referenda sunt

(a) *Convicia* sive cum execratione sive absque illa Matth. v. 22. aliquando sub *dieteris* aculeatis & *sarcasmis* ad altius pungendum latitantia Prov. xii. 18.

(b) *Obtreccationes*, κατταλαλαί, quibus proximi absentis fama malitiose proscinditur Jac. iv. 1. 2. Cor. xii. 20. 1. Petr. i. 1. 1.

(c) *Loquacitas* qualiscunque, qua verbis vanis & futilibus tempus perditur Prov. x. 19. xv. 2. Eccles. x. 11-14. In specie vitiosa est Loquacitas cum læsione Fidei conjuncta, qua secreta Proximi in ejus præjudicium effutiuntur Proverb. xi. 13.

(d) *Scurrilitas*, σαπρότης, qua verba profana moresque corruptentia bonos proferuntur 1. Cor. xv. 31. 32.

(e) *Afferitas* & *morositas* in verbis, quæ indicium est superbiæ & contemptus aliorum Proverb. xviii. 23.

(1) A-

(2) Atrocius Proximus læditur *scripto*, tum in iudicio per intentatas *actiones injuriarum*, tum per *libellos famosos* atque *scripta Satyrica*, non vitia, sed personas prostituentia. Eodem referas licet *styli acrimoniam*, quæ ipsa literatorum, quin Theologorum scripta sæpenumero inquinat, sive ex privata vindicta, sive ex atra bile, sive ex mera ingenii petulantia oriatur.

XXIX. *Tacendo* etiam Proximus læditur, quando veritas eum celatur, quam sine damno ignorare nequit. Id fit

(1) Quoad *animam*, quando tempus opportunum illam aut lucrandi aut ædificandi aut a peccato avertendi prætermittitur. In aliis hæc obmutescencia oritur ex incuria, in aliis ex perverso pudore. Marc. viii. 38.

(2) Quoad *corpus*, quum aut per negligentiam aut per lucri proprii aviditatem periculum imminens ei non indicatur & de occasione apparente ad commodum suum promovendum ipse non monetur.

XXX. *Injustitia*, quæ opere committitur, aliquando involucro *doloso* utitur, aliquando aperto campo grassatur. *DOLUS*, מרמה, חנף, Δόλος, Δόλη, *Fraus* semper in sacris sensu malo usurpatur, & aliquando tam late extenditur, ut etiam ipsam hypocrisin contra Deum comprehendat. Proprie tamen ad peccata contra Proximum pertinet, quia Deus decipi nequit. Verum & tum se extendit ad quamcunque seu *Simulationem* seu *Dissimulationem*, qua Proximum aut in errorem inducere, aut veritatem, cujus ipsum interest, ab eo occultare contendimus.

XXXI.

XXXI. *Crassior Fraus committitur simulando, quoniam Simulatio est gestuum habitusque & vitæ externa compositio in eum finem tendens, ut Proximus in Errorem inducatur.* Simile acumen in distinctione variorum generum *Simulationis* adhibetur, ac in *Mendaciorum* distinctione, quamvis non dispar fundamentum utriusque sit, nisi quod *Simulatio* magis signis rerum in oculos occurrentibus per *fictionem gestuum* abutatur, quæ incertiora sunt, *Mendacium* autem in *fictione verborum*, quæ signa sunt auditus, subsistat. Nulla saltem pro *Simulationibus exploratoriis, stratagematicis, rectoriis & correctoriis* neque argumenta neque exempla idonea proferuntur, quæ illa secundum verbum Dei esse excepta a *Doli* in genere vetiti Lege severa probent.

XXXII. Agnoscimus tamen diversos *Simulationis* gradus. Atrocior exercetur

(1) *In rebus divinis*, sive per apostasiæ a vera religione fictionem, sive per pietatis hypocriticam speciem, Utrunque non solum Dei honorem proculcat, sed etiam Proximum in errorem perniciosum inducit, prius propter offendiculum, posterius, quia non potest efficacius decipi, quam sub pietatis prætextu. Posterius potissimum fit per *seductores*, quorum nocendi artes & dolos Scriptura præprimis cavere jubet 2. Cor. XI. 3. 2. Theff. I. 9. 10.

(2) *In rebus humanis* per quascunque fraudes & technas, quibus aut vitæ, aut famæ, aut bonis Proximi insidiæ struuntur. Nociva hic quam maxime est *Simulatio amicitie*, quo referenda *oscula osoris* Prov. XXVII. 6. Sed & omnium tech-

narum, quæ in communi vita per omnes status, præcipue in commerciis exercentur, catalogus huc pertinet.

XXXIII. *Dissimulatio* nihil aliud pro fine habet, quam *ut veritas a Proximo occultetur*. In gestibus ergo respondet *silentio*, & per se vitiosa non est. Per circumstantias autem in crimen abit, quando id studio supprimitur, cujus notitia damnum aliquod avertere a Proximo aut commodum promovere posset.

(1) *In rebus divinis* nociva est dissimulatio per intermissionem officiorum, quæ cultus Dei requirebat. Huc pertinet dissimulatio Eli in peccatis filiorum 1. Sam. III. 13.

(2) *In rebus humanis* turpis est dissimulatio, qua ira, aliique affectus non extirpantur, sed tantum teguntur Esth. v. 9. 10.

XXXIV. Apertius Proximus læditur per *Injustitiam*, quæ aut contra ipsam ejus *Personam* aut contra *Bona* ejus committitur. Personæ ejus damnum tum *directe* per *amorem impurum* inferitur. Ad priorem classem spectant quæcunque *Homicidia*, quibus noxa *Via* Proximi inferitur, quæ tamen diversos gradus tum ratione *intentionis*, tum ratione *executionis* habent.

XXXV. *Gradus* Homicidiorum quoad *intentionem* major minorve *proairesis* constituit. Unde distinguitur inter *homicidia* & *involuntaria*. Ad priorem classem

(1) Ante omnia pertinent *latrocinia publica*, quorum species sunt *injusta bella*.

(2) Proximum locum occupant *monomachia*, quæ *duella* dicuntur, sive ad audaciam ostentandam,

dam, sive ad infamiam depellendam, sive ad vindictam privatam exercendam, suscepta; more barbaro & immani, in quo omnia genera Homicidii, tam animæ quam corporis, tam in se quam in proximo, conjuncta sunt

(3) Minus atrocia censentur, quæ committuntur, quando animus affectu quodam vehementiori obnubilatus est, in quam classem referenda sunt Homicidia per crapulam patrata.

XXXVI. *Involuntariorum* Homicidiorum culpa major minorve intercedit.

(1) Major cadit in illos, qui aut per petulantiam neci ansam dant, aut majorem noxam inferunt, quam volunt, aut presentiori vitæ periculo Proximum lucris sui causa exponunt, aut, ubi potuerunt periculum ejus avertere neglexerunt.

(2) Minor & aliquando nulla eorum culpa est, qui aut per *moderamen inculpate tutela*, aut propriæ vitæ servandæ causa, v. gr. in *naufragio* & *puerperio* aut *casu improvise*, Proximum occidunt, cui ultimæ speciei *Asyla* olim fuere destinata.

XXXVII. In *executione* Homicidium completum ab incompleto, immediatum a mediato, coram Deo non est distinctum, ubi animus nocendi adest. Quidam in voto mortis Proximi subsistunt, contra quos Lex facit Levit. xix. 17. 18. Alii gestibus & conatu aperiunt, quid facere vellent, si facultas adesset, exemplo Caini Gen. iv. Læsioni quoque membrorum *talionis* pœna dicta est Exod. xxi. 22—25. Levit. xxiv. 19. 20. Nec impune verberibus, alapis &c. in

Proximum grassari licet, cum ipsa ejusmodi injuriarum retributio Lege divina vetita sit Matth. v. 38. 39. Dispositio autem ad talia crimina dicitur *Crudelitas*, *Inhumanitas*, Ἀπῆνεια, *Immiseri-cordia*, quæ inter gentilium vitia, quos Ἀνελεημοιες Apostolus nominat, refertur Rom. I. 31.

XXXVIII. Omnia vitia huc pertinentia sunt foedissima; quibus & pœnas temporales *indispensabiles* & æternas Deus dixit Exod. xxi. 14. Apoc. xxi. 8. Quin nisi severe puniantur, eorum reatus integram regionem premit Jes. xxvi. 21. Gen. iv. 10. 11. Et merito

(1) Quia *Vita* inter omnia Bona Proximi & pretiosissimum, & maxime irreparabile est.

(2) Quia in jus Dei involant, quod ei tanquam summo Vitæ nostræ Authori convenit.

(3) Quia seipfos in Proximo lædunt, cum Proximus non solum pars nostra sit, sed etiam quod in Proximum tentamus, in nos ipsos per-mittimus.

(4) Quia *homicida* speciatim implet voluntatem Diaboli *homicide ab antiquo* Joh. viii. 44.

(5) Potissima ratio est, quia *Homo imaginem Dei gerit* five actu, five potentia Gen. ix. 6.

XXXIX. Sed & persona Proximi læditur per IMPUDICITIAM, quæ aliquando strictius ΠΙΝΔΟΥ, Ἀναθαρσία audit, alias Ἀσέλγεια, Ἀιγρότης, Πάθος Ἰπθυμίας dicta, & comprehendit omnes conatus & actiones, quibus per corporis Proximi dehonestationem libidinis impure exsatiatio queritur.

XI. Crassior *Impudicitia*, quæ actu ipso com-mit-

mittitur, ut atrocissima mittam, quæ sub *Sodomiticorum* ac *mutorum* velo honestas obtegit Eph. v. 12. primo loco comprehendit *Adulterium*, quod Decalogus in exemplum nominat, idque tam *duplex* quam *simplex*, tam a parte *Viri*, quam *Mulieris* commissum; unde eadem *adultero* & *adulteræ* pœna est dicta Deut. xxii. 22. Quin æternum exitium Deus huic crimini comminatur Mal. iiii. 5.

XLI. Latus hujus criminis claudit *Scortatio* sive cum *prostibulis*, sive cum *ingenuis*, aut technis fraudulentis in criminis societatem pellectis, aut coactis, commissa, & non minus Deo exosa, qui capropter *mercedem meretricis* noluit in Sanctuarium ferri Deut. xxiii. 17. 18. & filiam Sacerdotis scortantem comburi jussit Levit. xxi. 9. & æternas pœnas scortantibus comminatus est æque ac adulteris 1. Cor. vi. 10. Hebr. xiiii. 4.

XLII. Merito Deus in hæc crimina se exasperatum exhibet.

(1) Destruunt & imaginem Dei & ordinem a Deo generi humano convenienter consilio suo per Leges matrimonii positum.

(2) Qui Christo nomen dederunt, hoc pacto peculium ei addictum ipsi iterum eripiunt 1. Cor. vi. 15.

(3) Per illa homo seipsum gravissime lædit, non solum conscientiam *operibus* his *tenebrarum* vastans, sed etiam corpus proprium destruens 1. Cor. vi. 18.

(4) Proximo infert damnum irreparabile tum per corporis dehonestationem, tum per opprobrium,

brium, quod integræ ejus domui infertur Prov. VI. 9-12.

(5) Quin latro est *anime Proximi*, quem ad consensum in crimine tam atroci pellicit.

XLIII. Intra *conatum* subsistit *Impudicitia*, quæ vel *immediate* vel *mediate* committitur, quoties quis in eo versatur, ut ignis hic infernalis in proprio aut aliorum corde pabulum accipiat. Magis *immediate* huc referri possunt.

(1) *Lascivia* in *verbis* per sales & jocos turpes, qui carnem titillant Eph. IV. 29. V. 4.

(2) Quoad *gestus oculi pleni adulterio* 2. Petr. II. 14. *Inverecundia* & *Impudentia* qualiscunque Ezech. XXIII. 3. *Ornatus meretricius* Prov. VI. 10.

XLIV. Magis *mediate* inter *Impudicitia* fomenta adnumerantur:

(1) Scripta impudica, *libri Sotadici*, *fabula Romanenses*, *lasciva cantica*, quæ quo magis ab elegantia & ingenio commendantur, eo magis nocent.

(2) Idem judicandum de *picturis* & *sculpturis lascivis*, etiam artificiosissimis.

(3) *Ludi theatrales*, cum primis qui illicitos amores, aliaque vitia, dum traducunt, docent.

(4) *Saltationes*, non abstracte consideratæ, sed quales nunc in usu sunt, ad levitatem & petulantiam indecoram compositæ.

XLV. Hæc & similia Christianis eo magis sunt vetita, quo certius est effatum Servatoris Matth. V. 28. quod *qui aspicit mulierem, ut eam concupiscat, jam adulterium cum ea commiserit in corde*

corde suo. Et si quis adhuc quædam ex commemoratis putet inter adiaphora esse referenda, ille coram Domino perpendat:

(1) An convictus sit in conscientia; non solum quod talia subordinari gloriæ Dei possint, sed quod ipse etiam illa ei subordinet?

(2) An illud apud se experiatur animi robur ut per talia in cogitationes leves atque indecoras Christiano, qui eniti debet, ut magis magisque cœlestia sapiat, non abripiatur?

(3) An illud officium amoris Proximi impleat, 1. Cor. vii. 13. gloriatur, declarans: *Si esca offendiculo est fratri meo, non edam carnes in æternum, ne sim offendiculo fratri meo?*

XLVI. In arctiori sensu *Injustitia* dicitur, qua *Bonis Proximi* damnum infertur. Atrociora crimina, quæ huc pertinent, sunt sequentia.

(1) *Rapina*, quæ vi in Bona Proximi involat, quod non solum sit a *predatoribus*, sed etiam a Principibus & Magistratibus injustis Mich. i. 1. 1--3.

(2) *Furtum*, quod clam Proximum spoliat, cujus multiplices species, gradusque, *sacrilegia, peculatus, plagia, simplicia furtiva* propter multiplicem hominis malitiam recensentur.

(3) *Societas lucri* ex alterutrius præda redeuntis Prov. xxix. 24. Psalm l. 18.

XLVII. Utrosque in Regno Dei partem non habere liquet ex 1. Cor. vi. 10. Furto sigillatim pœnas temporales sapientissimas pro delicti proportionem summus Legislator statuit Exod. xxi. 16. xxii. 1. 2. An unquam Lege divina furtum, etiam in extrema necessitate, permissum sit, dubitari

bitari potest. In loco saltem Prov. VI. 30. 31. non agitur de stricto jure, sed duntaxat de more humano.

XLVIII. Sub *Injustitia* nomine denique solent comprehendi mille *Artes & Doli*, quibus sub quocunque titulo aut a Proximo sive prorsus *invito*, sive quadantenus *consentiente*, *extorquentur*, ad quæ non tenebatur, aut quæ ei solvenda præstandaque erant, *retinentur*.

XLIX. *Extorsionum* ab *invito* exempla sunt:

(1) *Merces laboresque* nimis caro *pretio* venditi, quod fœdus est tum in casu necessitatis, tum quando merces adulterantur, tum quando circa mensuras fraus committitur Amos. VI. 6. Levit. XIX. 35. Prov. XI. 1.

(2) Similis turpitudine inest *processibus* frivole intentatis, *moneta falsationi*, *πολυπραγμοσύνη*, crimini *stellionatus*, & *usuris* iniquis, quales sunt, tum modum excedentes, tum potissimum a pauperibus exactæ Exod. XX. 1. 25. Levit. XXV. 35. 36. Luc. V. 35.

L. Sed &, quamvis volenti injuria fieri non videatur, *extorsiones a consentientibus* coram Deo iniquæ sæpenumero sunt.

(1) Quando *venduntur beneficia*, quæ bene merentibus ultro præstari deberent, per *Simoniam*, & *juris* administrationem pro *muneribus* venditam. Prius innuitur Act. VIII. 19. 20. Apoc. XVIII. 11. Posterius severe reprehenditur Deut. XVI. 19. Jes. I. 23.

(2) Quando victus illicita vitæ ratione cum damno tam *corporali*, quam *spirituali* Proximi quaeritur, uti fit:

(a) Ab

(a) Ab illis, qui quoniam laborem fugiunt, *ex elemosynis* vivunt, etiamsi id fiat sub prætextu pietatis Matth. xxi. 11. 14.

(b) A *mala causse patronis, prævaricatoribus, proditoribus.*

(c) Ab illis, qui infames artes exercent, *circumforaneis, agyrtis, histrionibus, lenonibus, tabernariis*, qui ludendi, potandique commoditatem præstant, *aleatoribus.*

(d) Per *ludos* quoscunque, quibus non solum tempus perditur, sed etiam per damnum Proximi proprium lucrum intenditur; a quo crimine *sponsiones, elle fortuna, lotarie, seu sortilegia*, similesque acquirendi modi plene exculpari nequeunt.

LI. *Retentionis inique* itidem varia sunt genera.

(1) Mali debitores Ps. xxxvii. 21. Prov. iiii. 27. 28.

(2) *Depositi* neglectus aut iniqua administratio, cujus præcipue mali Tutores rei sunt.

(3) *Infideles Oeconomi* Luc. xvi. 1. Matth. xxi. 45.

(4) *Inventum* sibi appropriatum seu negatum Levit. vi. 3. Deut. xxi. 1. 2. 3.

(5) *Merces operariorum* abbreviata Jac. v. 4.

(6) *Occlusio* cordis atque *manuum* a miseris & pauperibus, quibus opitulari possumus Jac. i. 15. 16. 1. Joh. i. 17. 18.

LII. Optandum esset ipsos *regentos* eousque in Gratia progressos esse, ut nulla tot actionum iniquarum contra Proximum labe se inquinarent. Sed tanta sæpe est incogitantia in verbis, vanitas

tas in gestu atque habitu, imprudentia in conversatione, laxitas circa adiaphora, lucri in praedictum Proximi sectatio, sordida parsimonia, ut mundani homines nihil minus quam gravitatem & decentiam Christianam in ejusmodi *conformatione cum mundo* Rom. XII. 2. animadvertere queant.

LIII. Virtus contraria, quam rationalis *Amor Proximi* producit, solet proprie JUSTITIA, Δικαιοσύνη, צדק, dici. Synonyma ferme ei est BENIGNITAS, רחמים, Χρηστότης, Ἀγαθότης, (quæ duo tamen Gal. v. 22. distinguuntur) nisi quod *posterior*. Proximum magis in relatione ad nos, *prior* in relatione ad Deum considerat. Mutuis sane nexibus hæ sibi inhærent. Suum enim Proximo non tribuit, adeoque injustus est, qui benignitatis officio deest. Et vicissim *Benignitati* exercendæ *Justitia* limites ponit. Quare duplex hæc Virtus, in exercitio Amoris Proximi semper conjungenda, constituit talem *animum habitum*, quo *regentus ex intima voluntatis propensione erga Proximum in præstandis ei officiis quibuscunque Lege divina comprehensis est occupatus*.

LIV. Hic habitus primo in mente se prædit per *rectum de Proximi persona factisque Judicium* Joh. VII. 24. quo pertinet

(1) Ut *suspendatur*, ubi res non solum obscura est, verum etiam ad forum nostrum non pertinet Rom. XIV. 13. I. Cor. IV. 5. Jac. III. 1.

(2) Quando autem officium nostrum requirit, ut *judicium proferamus*, *Benignitas* cum *Justitia* debet esse conjuncta.

LV. Be-

LV. *Benignitas* requirit, ut propendeamus semper in favorem Proximi, sive illum ut creaturam Dei dotibus variis instructum, sive relate ad Legem Dei, sive in relatione ad nos consideremus.

(1) Primum jubet, ut debitum *Honorem* Proximo exhibeamus Rom. x. 1. Petr. 11. 17. Quatenus enim dotes easdem nobiscum possidet, nos in ipso honoramus. Et quando majores Deus concessit, honor eapropter, in Proximum collatus ad Deum redit.

(2) Alterum nos obligat ad bene de Proximo sperandum, tum quoad *Statum* ejus, quando fundamentum aliquod adest; tum quoad *Actiones* ejus, quantum res patitur, in meliorem partem eas interpretando 1. Cor. v. 11. 13.

(3) Tertium impedit, ne facile nos ei *preferamus*, adeoque & *Humilitatem* illam inculcat, quam relate ad Proximum exercere debemus Phil. 11. 3.

LVI. *Justitia* ab altera parte hoc judicium ita dirigit, ut non simus cæci, neque quoad *Statum* ejus, neque quoad *verba* & *Actiones* ejus Ezech. xiiii. 19. 1. Joh. 1v. 4. Job. xii. 11. Nemo enim facile in corrupto hoc hominum statu præsumi potest bonus. Neque absque æqua judicii lance aut prudenter in mundo perverso ambulare, aut animæ Proximi salutem debito modo promovere possumus.

LVII. Simile temperamentum *Affectibus* inesse debet. *Benignitas* enim impellit,

(1) Ut similes *Affectus* cum Proximo induamus, gaudendo cum gaudenibus, flendo cum flentibus Rom. x. 11. 15. 1. Cor. x. 11. 26.

(2) Ut

(2) Ut ita etiam legitima cum *longanimitate* conjuncta sit, adeoque tardiuscule prorumpat, intra limites justos contineatur, & facile remittatur per animi ad *obliviscendum offensam* eamque condonandum inclinationem 2. Cor. v. 1. 6. Gal. v. 22. Ephes. v. 2. Col. 1. 1. 10.

(3) Ut propensi simus ad impendendum vires nostras in promovendam nostram cum Proximo unionem.

LVIII. *Iustitia* autem simul imperat,

(1) Ut nunquam lætemur de peccatis Proximi 1. Cor. xiii. 6. ut potius eapropter *indoleſcamus* Ezech. 1x. Psalm. cxix. 53. 136. Jerem. xiii. 17.

(2) Ut propterea ira ac zelo impleamur, quin sæpe arctissime amoris vincula rumpamus. Deut. xxxiii. 9.

(3) Denique ut unionis cum Proximo finis semper maneat gloria Dei, quo pertinet Sancta *Emulatio* eorum, qui gratiæ divinæ efficaciam in professione ac vita sua commonstrant Rom. xi. 14. 2. Cor. ix. 2. 1. Petr. 1. 11. 13. Hæc requirit, ut non solum *excemus in vestigia ovium* Cant. 1. 8. imitantes illos, qui in exercitio pietatis præcedunt, sed ut ad majorem quoque super alios mensuram enitamur 1. Cor. xii. 31.

LIX. Cum autem *totus* Proximus secundum *animam & corpus* objectum debeat esse amoris nostri, hinc distinguimus inter *virtutes* atque *officia*, quæ magis directe ad *animam* referuntur, & quæ simul quoad *corpus* ei exhibentur, quamvis prius genus posteriori semper intime innexum sit.

LX. Ad priorem classem officia tum *immediata*
tum

rum *mediata* spectant. Illuc præter *Preces*, de quibus jam actum est *Cap. VI. §. 42.* & *Admonitiones* atque *Excitationes*, quibus communio mystica inter ipsos fideles exercetur, de quibus infra *Lib. III. cap. 1.* agetur, referimus:

(1) *Exhortationes* & *Reprehensiones*, quibus quoscunque pro re nata aut ad curam animæ suæ excitare aut a malo avocare contendimus *Prov. XV. 23. XXIV. 3. 6. XXV. 11. 12. Hebr. III. 13. X. 24. 25.*

(2) *Parrhesiam* in defendenda veritate contra quoscunque ejus hostes & oppugnatores *Psal. CXIX. 46--48.*

(3) *Vita* ipsius pro Proximo *oblationem*, si animæ ejus aliquod lucrum afferri possit & divina vocatio accedat *1. Joh. III. 16.*

LXI. Sed & magis *mediate* huc spectat *EXEMPLUM BONUM*, *Scandalo* oppositum, sive *sanctum studium* totam vitam ita componendi, ut non solum nihil in ea occurrat, quod Proximum offendere, & a via salutis abstertere potest, sed ut potius per illud intendatur ad eandem viam inflectendam & in illa pergendam.

LXII. Quare Exemplum bonum materialiter involvit in genere quarumcunque Christianarum virtutum studium; formaliter autem publicam in illis occupationem cum *parrhesia* & *prudencia* conjunctam.

(1) *Parrhesia* vult, ne nimium in occulto delitescamus ex diffidentia aut timore hypochriseos *Matth. V. 14--15. Phil. II. 15. 1. Petr. II. 11. 12.*

(2) *Prudentia* imperat, ut non solum ab omni
affe-

affectationis specie abstineamus, sed etiam commodas occasiones, in quibus exemplum nostrum utile esse potest, captemus. Neque enim omnia omni loco ac tempore ædificant. Denique, ut quovis modo inculpate coram hominibus ambulare contendamus, omnique suspitioni, præjudicio perverso, scandalo accepto, quantum in nobis est, præstruamus Act. xxiv. 16. Phil. 1. 15. 1. Thess. v. 22.

LXIII. Magni momenti hoc officium est.

(1) Quoniam ipsius Dei honor per Exemplum piorum illustratur, cum inde efficacia Gratia ejus appareat Act. 1x. 20. 21.

(2) Quoniam nihil magis gloriam universæ Ecclesiæ illustrat, quam ubi verus ejus character in vita sancta membrorum ejus revelatur.

(3) Quoniam homines passim *exemplis* magis *trahuntur*, quam *regulis*.

(4) Magis quoque universale est hoc ædificandi Proximum medium 1. Petr. 1. 1. 2. 1. Cor. xiv. 25.

(5) Pertinet hoc officium ad Sacerdotium Novi Testamenti, quo non solum in Sanctuario sed etiam in Atrio mystico defunguntur fideles; & ad divitem *unctionis* Spiritus sancti modulum, cujus bona *fragrantia* ad alios quoque penetrare debet.

LXIV. Inter illa. quæ circa Proximum quoad animam & corpus simul sunt observanda, præ omnibus requiritur *rectus usus lingue*. Quamvis enim dentur casus, in quibus Proximo non obstricti sumus ad loquendum, quando tamen loquimur, ut membro hoc convenienter scopo Dei, qui

qui ejus usum concessit, utamur, fas est. Psal. xxxi v. 14. Prov. xxi. 23. Tanti id momenti est, ut auxilium Dei ad hoc officium implendum imploretur Ps. cxli. 3.

LXV. Prima virtus, quæ huc pertinet, est VERACITAS, ἀλήθεια, ΠΙΣΤΙΣ, quæ hic designat studium convenientiæ perpetuæ tum inter verba & mentem suam, tum inter verba & rem ipsam. Ad omnia ergo verba, quibus ad Proximum utimur, hæc virtus se extendit, sive de rebus divinis sive humanis differamus: sive communibus sacris cum illo utamur, sive non utamur, quod discrimen male Priscillianista urgebant. In singulis ita verari fas est

(1) Ne unquam contra mentem loquamur, quod *veritas moralis* solet appellari: sive quum *testimonium personæ* tam in presentia quam in absentia aut *rei gesta* gerendæve perhibemus, sive quum in futurum *fidem* nostram obstringimus.

(2) Ut etiam convenienter rebus ipsis loquamur, quod *veritas metaphysica* dicitur. Huc pertinet debita circumspectio, ne *testimonium* perhibeamus nisi de re bene cognita, neve fidem nostram demus, nisi exploratis abunde circumstantiis rerum nostrisque viribus, ut verbis nostris nos non illaqueemus.

LXVI. Serio hæc virtus absque ulla restrictione inculcatur a Propheta Zach. viii. 16. a Servatore Matth. v. 37. & Apostolo Ephes. i v. 25.

(1) Veracitas est pars essentialis imaginis Dei & exempli, quod Christus nobis imitandum proposuit 1. Petr. ii. 22.

(2) Vinculum societatis humanæ id requirit, quod

quod Apostolus loco citato intendit, monens, quod *simus alii aliorum membra*.

(3) Convenit hæc Virtus sigillatim gloriæ Ecclesiæ Nov. Testam. in qua *Hserosolyma vocatur urbs veritatis* Zach. VI. 11. 3. Adde Zeph. III. 12.

LXVII. Cæteras Virtutes *Verba* regenitorum ornantes sub *verbi boni* phrasi comprehendit Apostolus 2. Theff. II. 16. 17. Per compendium illas addimus.

(1) Quando bonum Proximi nomen sinistre ab aliis laceratum etiam in absentia ejus pro virili defendere conamur.

(2) *Tarditas* ad loquendum Jac. I. 19. commendatur. Illa vult, ut præmeditato ad loquendum accedamus, ne verba mentem præcurrant.

(3) *Gravitas* in loquendo vult, tum ut serio tractentur, tum ut dicantur *necessaria*, eaque *paucis*, ipso *Epicteto* injungente Cap. XL I.

(4) *Sapientia* est *Sal*, quod verba sapida reddit, illisque præcipuum pondus addit Eccles. XII. II. IX. 17. 18.

(5) Conjuncta tamen sit *Lenitas*, *Comitas* & *Affabilitas* *ἠπιότης*, animi blandi, mansueti, humilisque index, quæ gratæ jucunditatis mixturam addit 1. Theff. II. 7. Col. IV. 6.

(6) Sed & debita laus Proximi est commemoranda, plus quidem absentis, ut bonus odor famæ ejus promoveatur; aliquando tamen & præsentis, ut gratia Dei agnoscat ac calcar currentibus addatur Rom. I. 8. 1. Theffal. I. 8. 9.

LXVIII. Interea aliquando *Taciturnitas* Proxi-
mo

mo est præstanda, ut tam *anima* quam *corporis* ejus salus promoveatur.

(1) Quoad ipsas *veritates divinas* interdum silentium servandum, ne mensura peccatorum Proximi accrescat, & ut melior opportunitas expectetur Prov. xxiii. 9. xxvi. 4. Matth. vii. 6. 1. Sam. xxv. 36. Luc. ix. 36.

(2) Quoad res humanas

(a) Fideliter servanda sunt *sancto silentio secreta* Proximi Prov. xi. 13. nisi forte talia revelavit, quæ salva obligatione alia, qua tenemur, reticere nequeunt.

(b) De vitiis & peccatis ejus silentium, quæ adhuc occulta sunt, & salva conscientia tegi possunt.

(c) Silentio convitia ejus sunt excipienda, exemplo Christi 1. Petr. ii. 23.

LXIX. Quid in factis Proximo præstandum sit, Servator unica illa regula complectitur: *Quæcumque vultis, ut vobis faciant homines, facite illis* Matth. vii. 12. Hanc impleturus non solum cavebit, ne Proximo noceat, sed etiam omni modo in id incumbet, ut Vitam, Honorem, atque Opes Proximi pro virili tum *conserve*, tum *adaugeat*.

LXX. Ad *conservationem* referimus CANDOREM Christianum, qui etiam sub generali *Honestatis* nomine solet comprehendi, quinque facit, ut regenti illam *Simplicitatem* ac *Sinceritatem*, quæ secundum Lib. i. cap. 9. & 10. omnia eorum opera coram Deo legitima reddit, ita constanter præ se ferant, ut eam Proximo semper præstent, illumque de hac interna animi sui dispositione con-

Z

vin-

vincere adnitantur. Huc ergo pertinet

(1) Quoad *statum*, ut quales sumus coram Deo, tales etiam, & non meliores, coram hominibus apparere contendamus.

(2) Quoad *actiones*, ut *scopum*, quam nobis præfiximus, quantum prudentia permittit & Proximi interest, absque alterius deterioris & sæpe in damnum Proximi vergentis finis dissimulatione libere & aperte profiteamur; atque nullis aliis *mediis*, quam quæ licita sunt, & quæ absque pudore profiteri possumus, utamur.

LXXI. Singulare hujus virtutis decus est.

(1) Christianismum mirifice ornat, eumque venerabilem & desiderabilem in oculis hominum reddit, quia omnis doli eum expertem esse demonstat Joh. 1. 47.

(2) Non solum testimonio Dei, sed etiam hominum gaudet, qui etiamsi ipsi fraudulenter vivant atque agant, tales tamen tacite venerantur, formidant, & aliis præferunt, quos *candide* secum agere animadvertunt.

(3) In quocunque Dei atque hominum judicio impavidum reddit Joh. 111. 21.

(4) *Columbis* Christianos assimilat Matth. x. 16. sub quarum effigie fideles Novi Testamenti depingi solent Cant. 1. 15. Matth. x. 16.

LXXII. Huic virtuti generali jungimus illas *specialiores*, quibus *Vita, Honor, Bona* Proximi conservantur. Primum præstat *PACIS STUDIUM*, *ERGUM*, quod eo tendit, ut *cum unoquoque homine, quantum in nobis est, amicitiam colamus*.

(1) Objectum quidem proximum *Pacis* sunt illi, quibuscum vinculo spiritualis amoris coalui-

mus

mus 2. Tim. 11. 21. Marc. ix. 50. sed tamen & ad omnes se extendit, qui ejusdem naturæ sunt consortes; & quos per externæ pacis sectationem in pacem internam adducere quærimus Rom. xii. 18.

(2) Exercitium autem Pacis duo involvit,

(a) Ut *conservanda* hinc *Paci* commodum proprium sacrificare, & de rigido *jure* nostro, quantum per conscientiam licet, *remittere* parati simus 1. Petr. 1. 11.

(b) Quando Pax illa non solum nostra, sed etiam Proximi culpa *violata* est, serio absque mora *resarcire* eam, atque nos quovis modo placabiles præstare Proximo contendamus Matth. v. 23 -- 26.

LXXIII. Insigne est hujus Virtutis momentum

(1) Inter singulares fructus Spiritus sancti & gnorismata gratiæ reputatur Gal. v. 22. 1. Cor. vii. 15. xiv. 33. Jac. iii. 17.

(2) Præstantissimæ promissiones cum pacis studio sunt connexæ 2. Cor. xiii. 11. Jac. i. 18. 1. Petr. iii. 11.

(3) Singularem efficaciam hæc virtus habet ad Proximum lucrandum Rom. xiv. 19.

(4) Convenit cum indole interna Regni Christi sub Novo Testamento, quod post omnem inimicitiam abolitam est Regnum Pacis Jes. iv. 2.

LXXIV. In eandem Virtutum classem referimus, quæ *Honorem* Proximi custodit, CASTITATEM, Ἀγνότης, ejusque comitem & indicem *Verecundiam*, *Pudorem*, Ἄιδως dictum, atque in eo consistentem, ut *verbis*, *gestibus*, *habituque*

roto, nihil quod castos oculos auresque ladere potest, committamus, sed potius Proximi pudori consulamus & corpori ejus debitum honorem prestemus.

LXXV. Impense hanc Virtutem Scriptura inculcat in quovis statu 1. Theff. v. 3--5. 1. Tim. II. 9. v. 22.

(1) Ad imaginem Dei hoc spectat 1. Joh. I. 3.

(2) Efficaciam gratiæ in credentibus ostendit, per quam omnem impuritatem odio habent, & ab ea non solum spiritum sed etiam corpus purificare contendunt.

(3) Corpori Proximi id debetur, quia domus est animæ, multo magis, quando id peculium Domini & Templum Spiritus sancti evasit 1. Cor. VI. 19. 20.

LXXVI. Ad Bonorum Proximi Conservationem directa est JUSTITIA seu ÆQUITAS, *Επιείκεια*, in sensu strictissimo accepta, quæ paritatem sortis humane considerans, dispositionem divinam in distribuendis rerum dominis agnoscit, atque extra eam sibi nullum jus in Proximi Bona arrogat, quam Proximo in sua Bona tribuit. Hanc incommode quidam in Justitiam Commotivam atque Distributivam distinxerunt; aptius alii in *expletricem* & *attributivam*. Id certum est, quod ea sit exercenda non solum in Contractibus tam pangendis, quam explendis, sed etiam ubi nulli Contractus intercedunt. Prius pressius *Justitiæ* rigor, posterius *Æquitas* postulat. Per hanc *Æquitatem* præmia bene merentibus solvuntur, inventa, si pote, Dominis suis restituntur, vel volentibus injuria non inferitur, ex ignorantia Proximi lucrum

crum non quæritur, & multa, quæ ipsæ Leges civiles permittunt, pro iniquis æstimantur.

LXXVII. Hanc Virtutem Scriptura inculcat Dan. iv. 27. Jes. xxxiii. 15. 16. lviii. 6. Ezech. xviii. 7. 8. 9. Et quamvis multa, quæ contra *Æquitatem* sunt, excusari coram hominibus soleant, Christianus tamen nunquam vel latum unguem ab ea sibi discedendum esse statuit.

(1) Quoniam per Fidem novit se subesse Foro poli, nullumque alium Bonorum largitorem præterquam solum Deum agnoscit. Unde persuasus est, hoc solum vinculum etiam omnibus humanis vinculis cessantibus sufficere, quod si rumpere, ipsum *nomen Dei profanaret* Prov. xxx. 8. quoniam in ejus jus involaret.

(2) Quoniam id revera continetur in regula generali, quam §. 68. proposuimus

(3) Quoniam pius per rigidum *Æquitatis* exercitium Proximum de sinceritate sua convincet, atque eo magis animæ ejus utilis esse poterit.

(4) Quoniam fideli N. T. hoc pacto incumbit demonstrare, quam vili bona terrena æstimet.

LXXVIII. Et quidni *Æquitas* præscripta esset, cum Amor Proximi secundum Legem Christi ulterius etiam ad illa officia extendi debeat, quibus res Proximi augeri possunt. Hæc includit nomen *BENEFICENTIÆ*, *Ἀγαθωποιίας*, *Ἐπειγέσις*, per quam intelligimus *actuales regenti occupationem in omnibus, quibus vita Proximi felicius evadere potest.* Huc velificatur *Humanitas*,

Z ;

Paci-

Pacificationis studium, & specialius in prospero statu *Favor*, in adverso *Misericordia*.

LXXIX. HUMANITAS, *φιλανθρωπία*, certa ratione reliquas virtutes sub se comprehendit. Strictius tamen designat *blandum cum aliis conversandi modum*, ut *benevolum nostram animam erga eos contestemur*. Huc pertinet, præter verborum suavitatem, cujus §. 67. mentio est injecta, & *Urbanitatem* seu *Civilitatem* in moribus, quam Quakeri ex vita communi sordidæ *Rusticitatis* affectato studio exterminatum eunt, *Promittendo* ad officia Proximo dictis factisque, aliquando cum proprio incommodo, præstanda, quibus vita ejus suavior commodiorque reddi potest. Ejus generis sunt *facilitas in dando consilio*, in mutuo dando, in auxilio præstando: *familiaritas in visitatione Christiana*: *addicta Proximo in variis vitæ hujus vicissitudinibus*, *festivis æque ac luctuosis*, opera, in quantum absque conformatione vitiosa cum moribus hujus seculi institui potest.

LXXX. Virtus hæc ab ipso Servatore inculcatur Matth. v. 41. 42. Colludit præceptum Apostoli Rom. xii. 17. Et certe impense commendari meretur:

(1) Quoniam impossibile est, ut non aliorum adjuvandorum studio sit impletus, qui ipse apud se rite reputat, quanta sit illa *φιλανθρωπία*, qua Deus erga se & quoscunque alios homines, quamvis per diversos gradus, utitur.

(2) Quia varia Civilitatis genera semper in populo Dei fuerunt usitata.

(3) Quia

(3) Quia exempla ejus laudantur in ipsis gentilibus Hethæis Gen. xxiiii. 6. Melitenibus Act. xxviii. 3.

(4) Quia Austeritas in moribus præjudicium magnum contra veram pietatem gignit.

(5) Quia Humanitas, quæ Proximum de nostro sincero erga ipsum affectu convincit, cor ejus patulum reddit monelis atque conatibus, quibus eum lucrari Domino contendimus.

LXXXI. STUDIUM PACIFICATIONIS, *Ειρηνοποιία* non solum vult, ut ipsi *pacem* cum Proximo sectemur, sed ut etiam *inter alios eam promovere queramus*. Duo huc pertinent. Alterum est, ut ante omnia queramus ad *Pacem cum Deo* Proximum perducere per illa media, quæ §. 60. sq. sunt enarrata. Alterum, ut & *Pacis aliorum* inter se curam habeamus, idque iterum dupliciter:

(1) Corda eorum inter se in bono scopo conglutinando, quod fit, quando optima quæque de absentibus loquimur, & quicquid offensionis ansam dare potest, tempestive e medio remove-re querimus.

(2) Reconciliationem inter eos, qui a se invicem sunt abalienati, tentando.

LXXXII. Quanti hæc virtus apud Dominum sit æstimata, manifestum fit:

(1) Ex nexu ejus cum vera Fide, quoniam intensum studium Pacem Proximo procurandi nascitur ex intimo sensu beatitudinis cum fruitione veræ Pacis conjunctæ.

(2) Ex interna exercitii ejus indole.

Z 4

(a) Per

(a) Per illud exemplum ipsius Domini exprimitur, cujus tanquam Principis Pacis tam meritum quam regimen eo tendit, ut hanc Pacem inter electos suos procuret, atque stabiliat Ephes. 11.

(b) Per illud regeniti hæredes fiunt promissionis Domini Matth. v. 9.

(c) Per illud Proximus pellicitur ad communionem cum omnibus illis præclaris effectis, quæ Pax cælestis ac terrestris largitur.

(d) Hoc potissimum convenit œconomiae N. T. in qua muro intergerino destructo præparatio paulatim fit ad possessionem plenissimæ illius Pacis, quæ in extremo dierum expectatur Jes. 11. 4. XI. 6-8. LXV. 25.

LXXXIII. FAVOREM hic appellamus eam Virtutem, quæ effectibus Livoris est opposita, & per quam de prospero successu rerum Proximi gaudentes lætitiâ hanc cordis indicis externis testatam dare contendimus. Pro objecto ergo habet tum integrum statum Proximi, spiritualem æque ac corporalem, tum moliminum ac negotiorum ejus bonorum, præsertim ad honorem Dei & utilitatem populi ejus magis tendentium, optatum successum. Hæc materia est gaudii regenito, quo æque ac si sibi hæc felicitas contingeret, impleri, ac propterea Deo gratias agere debet. Signis quoque externis, favore lingue, sinceris gratulationibus, moliminum promotione, aliisque officiis, quibus res prosperæ Proximi conservari & augeri possunt, hunc animum declarabit.

LXXXIV. Hoc sigillatim vult Apostolus, in-

jun-

jungens gaudere cum gaudentibus Rom. XII. 15.
Et merito.

(1) Ad honorem Dei pertinet, ut munificen-
tia, qua erga alios usus est, grato animo agno-
scatur. Hic finis est, in quem beneficia divina
publice commemorantur, ut nempe alii quoque
ad laudem Dei eapropter incendantur Ps. LXVI.
16. CXVI. 17, 18.

(2) Judicium hoc est Fidei in sua sorte acqui-
escentis, Dominoque bonorum suorum liberri-
mam dispositionem resignantis.

(3) Hoc ipsum Proximum animabit ad Bona,
quæ accepit, in communem Ecclesiæ usum im-
pendenda.

LXXXV. MISERICORDIA רַחֲמִים, רַחֲמֵי,
רַחֲמֵי, ἔλεος, οἰκτιροῦ, οἰκτιροῦς. est ille habi-
tus regeniti, a Spiritu sancto infusus, quo ex
intimo miseria propria miserationisque divina sensu
per miseriā aliorum, quibuscunque malis obruto-
rum, ac præcipue vinculis peccati constrictorum, in-
time tangitur, & permovetur ad levamen atque opem
verbis factisque pro virili præstandam.

LXXXVI. Objectum adeoque misericordiæ
est *miseria Proximi*, qua vel secundum animam
vel secundum corpus est impletus. Secundum
animam in sensu plenissimo *miser est peccator*. Sed
& reliquæ ejus miseriæ in ipsis *tentationibus fi-*
delium occurrunt. Quoad corpus omnes *affli-*
ctiones externæ tam piorum quam impiorum
huc pertinent. Certa quædam afflictionum ge-
nera, *viduas, orphanos, peregrinos, pauperes*, præ
aliis Lex commendavit, quoniam in illis emble-
ma occurrit miseriæ spiritualis, quæ viscera

commiserationum requirit. Sed & ad quoscunque *oppressos, egrotos, captivos*, illa sunt extendenda.

LXXXVII. Exercitium misericordiae requirit:
(1) In *verbis* consilia & solamina cuicumque afflictionis generi congrua Ps. *lxxix.* 21.

(2) In *factis* non solum *visitationem* Job. *l.* 11. 14. sed etiam *auxilium* reapse cum facultatum impendio, aliquando cum ipsius corporis vitaeque periculo conjunctum Jac. *ii.* 15. 16. 1. Joh. *iii.* 16. 17. 18. Unde liquet, quod *Facultas in praestando auxilio, Hospitalitas, Liberalitas quoad pauperes* diversi *Misericordiae* rami sunt.

LXXXVIII. Postrema Virtus praeter aliis hic in censum est vocanda. Consistit enim *LIBERALITAS* seu *Munificentia* in generoso admodum animi credentium motu, quo tam *spiritualia quam corporalia bona impendere parati sunt, ad Proximum in variis necessitatibus externis internisque, praesertim in egestate, sublevandum.*

LXXXIX. Cum haec virtus potissimum exerceatur per *ELEEMOSYNAS*, distinguimus illas in *ordinarias & extraordinarias*. Prior pars semper cultus publici fuerunt. Posteriores privatae uniuscujusque fidelis dispensationi sunt relictae. Circa utrasque earum tum *objectum* tum *erogationis modus* notari debet.

XC. Objectum sunt *omnes homines*, qui opis nostrae revera indigent, ipsis indignis non exceptis Matth. *v.* 45. Duplex tamen observanda erit limitatio.

(1) Vere *pauperes* debent esse, non praetensio-

ne duntaxat, uti *Monachi mendicantes* in Papatu; adeoque carere non solum rebus necessariis, sed etiam facultate honesto labore eas comparandi.

(2) *Gradus* sunt observandi, tum pro ratione indigentiae majoris aut minoris, tum secundum vincula relationis propinquioris aut remotioris. Unde primas debemus dare illis, quibuscum spirituali unione conjuncti sumus Matth. xxv. 35. 36. 40. Gal. vi. 10.

XCI. Ad *modum erogationis* pertinet ante omnia *Datoris* conditio. Prae aliis quidem hic obligati sunt *divites* 1. Tim. vi. 19. qui ex superabundantibus opibus, quas Deus ipsis propter alios indulget, dare debent. Sed tamen illi quoque tenentur, quibus res domi est angustior, si major alterius necessitas id postulet. Marc. xii. 41. Luc. xii. 41.

XCII. *Officia* autem varia in dandis eleemosynis, tam quoad *dantis* animum, quam quoad *dationis circumstantias*, requiruntur.

(1) In animo dantis commendantur.

(a) Verum *Amoris Sancti* principium 1. Cor. xii. 3. Job. xxx. 5.

(b) *Spontaneitas* 2. Cor. ix. 7. Rom. xii. 8. Hanc revelat *promittitudo* ad cito dandum Prov. iii. 28.

(c) *Abundantia* 2. Cor. ix. 6. Luc. iii. 11. vi. 38. quae tamen prudentia temperanda est, ne absque necessitate aliis porro benefaciendi facultate nos privemus.

(d) *Iustitia*, quae requirit illorum Bonorum erogationem, quae justo titulo possidemus.

(e) *Hu-*

(e) *Humilitas*, quæ nullum meritum apud Deum ex Legis hujus implemento sibi fingit.

(f) *Proprie utilitatis abnegatio*, qua nullam remunerationem ab hominibus exspectamus, Luc. XIV. 12--14.

(g) *Constantia* qua in succurrendo miseris non fatigamur.

(2) Ad circumstantias *dationis* referimus

(a) Quod dandum sit in occulto Matth. vi. 1--4.

(b) Quod pudori eorum, quibus aliquid erogatur, consuli debeat 1. Cor. xi. 22.

XCIII. Insigne sane membrum in catena Virtutum *Misericordia* constituit. Neque enim censeri potest unquam in vera Conversione miseria humanæ magnitudinem sensisse, aut misericordiam apud Deum invenisse, qui non tangitur aliorum miseria. Unde ipsis externis cultus divini partibus præfertur Matth. xii. 7. & inter ponderosissima Legis præcepta adnumeratur Matth. xiiii. 23. Quin fundamentum est parthesiæ, qua bona conscientia coram Deo utitur Jes. i. 17. 18.

XCIV. In se spectata eadem Virtus maxime amabilis est.

(1) Pars essentialis est cultus divini Jac. i. 17.

(2) Exprimit exemplum Dei & Christi Luc. vi. 36. Ephes. iv. 32. Col. i. 16. 17.

(3) Promissionibus amplissimis gaudet Matth. v. 7. Jac. ii. 13.

(4) Proximum ut partem sui considerat 1. Cor. xii. 26. Hebr. xiii. 3.

(5) Convenit maxime fidelibus Novi Testamenti,

menti, tum quia major est modulus gratiæ, qui
 ipsis indignissimis est exhibitus; tum quia per
 plures afflictiones sub ejus œconomia fideles ex-
 ercentur, quas mutua commiseratione Dominus
 vult leniri.

XCV. Præcipue in eleemosynis commendan-
 dis Scriptura admodum operosa est, Deut. xv. 7.
 8. Hebr. XIII. 16. 1. Tim. VI. 18. Accumulat
 quoque argumenta, ut tarditatem cordis huma-
 ni expugnet.

(1) Ad *nexum* virtutum Christianarum quam
 necessariæ sint *Eleemosynæ*, liquet exinde, quo-
 niam inter præstantissimos *Fidei fructus* & po-
 tissima *Gratiæ criteria* adnumerantur 1. Joh.
 III. 17.

(2) In se considerata fragrantissima quasi sunt
 unguenta & aromata membrorum Christi.

(a) Ad cultum Dei pertinet, ut ejus imago
 in pauperibus coram mundo honoretur Jac.
 II. 5.

(b) Exemplum Christi exprimitur 2. Cor.
 VIII. 9.

(c) Promissionibus amplissimis fides habetur
 Prov. XIX. 17. 1. Tim. VI. 19. Gal. VI. 9.

(d) Testatum damus, quod Bona meliora ac
 præstantiora quæramus.

(e) *Iustitiam* Proximo exhibemus. Unde Ju-
 dæi eleemosynas *δικαιοσύνη* appellare solent.

(f) Nihil efficacius cor Proximi præparat ad
 recipiendum admonitiones nostras, adeoque ad
 lucrandum ejus animam.

(g) Superpondium addit ratio Novi Testamen-
 ti, in quo & Communio Sanctorum arctior eva-
 sit

fit & cura rerum mundanarum magis est extirpata. Hinc inter gnorismata fidelium Novi Testamenti occurrit, & cum Bonorum ejus promissione conjuncta est Ps. cxii. 5. 9. Jes. lviii. 8. 9. 10.

C A P U T N O N U M.

De Officiis seu Mediis generalibus ad Conservationem & Incrementum in statu Gratiae procurandum.

S U M M A R I U M.

- I. Supponitur, omnes, qui in statu Gratiae sunt, de ejus CONTINUATIONE sollicitos esse debere §. 1---12.
 - A. In genere id probatur 1.
 - B. Specialius indicantur officia huc pertinentia 2---12.
 1. *Junctim* proposita 2---5.
 2. *Divisim* deducta 6---12.
 - a. Studium Conservationis 6---8. quod
 - a. Describitur 6. 7.
 - β. Argumentis urgetur 8.
 - b. Studium proficiendi 9---12. quod
 - a. Describitur 9---11.
 - β. Argumentis urgetur 12.

II. ME-